



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archiepiscopo Toletano.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

Datum Laterani xvii. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*In eundem modum Suelstonensi & Cathalaunensi Episcopis, & Decano Suelstonensi usque ad partes ultramarinas accessit &c. usque probare in vestris partibus &c. usque quatinus si forte idem Erardus in Galliam venerit cum puella, sub poena excommunicationis &c. usque provenire. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique fratres Episcopi &c. Datum Laterani &c. ut supra.*

**NOBILI MULIERI BLANCHÆ**  
*Comitisse Campaniæ, ac Theobaldo nato ejus.*

*Epist. 151.  
Ejusdem argumenti cum epistola 149.  
Vide appendicem hujus libri.*

**E**X parte vestra fuit propositum coram nobis quod dilectus filius noster Robertus rituli sancti Stephani in Cœlio monte Presbyter Cardinalis apostolicæ sedis Legatus, adjunctis sibi quibusdam Episcopis & aliis bonis viris, super hoc quod inclytæ recordationis Comes Henricus ad partes ultramarinas iterum terram suam Theobaldo fratri suo fecit jurari si de illis partibus non rediret, & quod prædictus Comes cum claræ memoriæ [ Isabella ] Regina Hierosolymitana post mortem [ Conradi ] Marchionis Montisferrati, qui eam Vnfredo de Toron legitimo viro ejus violentè abstulerat, ipso Vnfredo vivente contraxit, quosdam testes recepit, pro eo quod de morte quorundam illorum, cum essent senes, poterat merito dubitari, & de longa timeri absentia aliorum, necnon & periculis aliis quæ propter guerras poterant imminere. Nos igitur vestris precibus annuentes, quod super iis providè ac legitime factum est per Cardinalem prædictum, robur habere præcipimus firmitatis. Datum Laterani iiii. Idus Decembris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

**MAGISTRO RADVLPHO**  
*Clerico.*

*Epist. 152.  
Confirmatur sententia lata pro eo.*

**E**X multarum tenore perpendimus litterarum quod cum olim causam quæ inter te ex parte una & G. Militem de Curi & Majorem, Scabinos, Oisellum & magistrum domus Dei de Bancingnis diocesis Laudunensis ex altera super terris, pratis, frumento, pomerio, foragiis, minuta decima, & rebus aliis vertebatur, dilecto filio Abbati sancti Eligij Noviomensis & conjugibus suis duxerimus committendam, ipsi rationibus utriusque partis auditis, & causæ meritis intellectis, pro te super prædictis omnibus diffinitivam senten-

tiam promulgarunt, condemnantes partem alteram in expensis. Cumque postmodum super hoc à nobis plures litteræ ad diversos judices emanassent, demum dilecto filio Cantori Noviomeni & suis conjugibus nostris litteris dedimus in mandatis ut dictam sententiam, sicut esset justa, executioni mandantes, ipsam facerent firmiter observari, contradictores appellatione remota per censuram ecclesiasticam compescendo. Coram quibus proposuit pars adversa quod ab eadem sententia fuerat ad nostram audientiam appellatum. Sed quamvis ad hoc probandum testes plurimos produxisset, penitus tamen in probatione defecit. Propter quod iidem judices inveniunt eandem sententiam justè latam, ipsam auctoritate apostolica confirmarunt, prædictos Militem, Majorem, & alios, eò quod parere diffinitivæ sententiæ contempserunt diutius & contemnunt, excommunicationis laqueo innodantes. Ne igitur de cetero causa ista semper repullulet, adversariorum malitia procurante, in tuum præjudicium & gravamen, tuis laboribus finem imponere volumus atque liti. Vnde quod ab ipsis rationabiliter factum esse dinoscitur approbantes, diffinitivam sententiam justina exigente prolatam auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. confirmationis &c. usque incursum. Datum Laterani iv. Idus Decemb. pontificatus nostri anno sextodecimo.

**ARCHIEPISCOPO TOLETANO.**

**C**um quædam diocesis olim Ecclesiæ Toletanæ subjectæ, quas Christianorum exigentibus culpis inimici nominis Christiani tenuerunt diutius occupatas nuper dextera Domini faciente virtutem, per studium & prudentiam carissimi in Christo filij nostri Adelphonis illustris Regis Castellæ sint extortæ de manibus impiorum, ne cura pastoris desit fidelibus positus in eisdem, eas sollicitudini tuæ duximus committendas, ut donec apostolica sedes de illis aliter duxerit disponendum, curam eis exhibeas pastorem. Ideoque fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus eas habeas taliter commendatas quod divini nominis cultus in eis per tuam sollicitudinem ampliatur, ad restaurandum tamen in eis Episcopos impendas studium & operam efficacem. Tu denique, frater Archiepiscopo &c. Datum Laterani xiiii. Kal. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimo-sexto.

*Epist. 153.  
De diocibus recuperatis à Christianis.  
Vide lib. 15.  
epist. 182. 183.*